ordo numerari desiit.

In quo ramusculo est sanguinitatis legitimi conubia fieri possint.

Ex dictis eiusdem. x. Beatus Ysidorus de consanguinitate sic loquitur: Cuius series septem gradibus dirimitur hoc modo. Filius et filia quod est frater et soror: sit ipse truncus. Illis seorsum seiunctis ex radice illius egrediuntur isti ramusculi. nepos et neptis primus. pronepos et proneptis secundus. Abnepos et abneptis tertius. Adnepos et adneptis quartus. Trinepos et trineptis quintus. Trinepotis nepos et trinepotis neptis sextus. Haec consanguinitas dum se paulatim in propagine ordinibus dirimens usque ad ultimum gradum sese subtraxerit et propinquitas esse desierit, tunc primum lex in matrimonii vinculum recipitur et quodammodo revocabit fugientem. Ideo autem usque ad sextum gradum generis consanguinitas constituta est, ut sicut in sex etatibus mundi generatio et hominis status finitur, ita propinquitas generis tot gradibus terminetur.

Excepta Gregorii pp. epistola galliae.

Geniculum est servari debet. Quod est consanguinitas usque ad septimum.

xi. Progeniem suam unusquisque ad septimum servare decernimus generationem et quamdiu affinitate agnoscantur propinquos ad coniugalem copulam accedere denegamus. Quod si fecerint, separentur.

De eadem re.

xii. Ex concilio apud Theodonis babtro cap. vii. Nullus fidelium usque ad affinitatis lineam, id est usque in septimam progeniem, consanguineam suam ducat uxorem vel eam quoquomodo incesti macula polluat. Si quis vero hoc temere presumpserit, ut incestum luat, ac publice iuxta canonicos gradus poeniteat.

De eadem re.

xiii. Ex concilio Lugdunensi cap. x. Nulli ex propinquitate sui sanguinis usque ad septimum gradum uxores ducant, neque sine benedictione sacerdotis. Qui ante innupti erant a sacerdote benedicti nubere audeant.

De eadem re.

xiiii. Ex concilio Aurelianensi cap. xx. Nullum in utroque sexu permittimus ex propinquitate sui sanguinis vel uxoris usque septimi generis gradum uxorem ducere vel incesti macula commaculari.

De eadem re.

xv. Ex concilio Agripinensi cap. vi. In septem gradibus omnia propinquitatum nomina continentur, ultra quos nec affinitas invenitur nec successio potest amplius propagari.

Item de eadem re.

xvi. Ex concilio Meldensi cap. vii. De affinitate namque sanguinis per gradus cognationis placuit usque ad septimam generationem observare nam

© Universitätsbibliothek Freiburg
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/ubfr_hs7/0289